

Testamentum.

2452

In nomine Domini nostri Jesu Christi, Ego Robertus Bellarminus
tit. S. Mariae in via presbiter Cardinalis ex Societate Jesu assumptus,
petii a sanctae memoriae Clemente Papa III facultatem condendi testa-
5 mentum ad pias causas tantum, ut certus essem, ea quae mihi deceden-
ti bona temporalia superessent, quaeque dum viverem dispensari paupe-
ribus vel ecclesiis non potuerant, utpote meae sustentationi necessa-
ria, ad pauperes vel ecclesias redirent. Concessit praedictus Ponti-
fex Indultum testandi generalius, quam voluissem, sed non acceptavi,
10 nisi ad pias causas, ut petieram. - Habetur hoc indultum inter alias
bullas mihi concessas, in magno folio pergameno cum plumbo, datum
anno Domini 1603, sexto idus Aprilis, Pontificatus Sanctissimi Papae
Clementis VIII anno duodecimo.

Ergo hoc indulto praesupposito, testamentum condidi Capuae, cum es-
15 sem Archiepiscopus ejus civitatis. Deinde eo abrogato aliud condidi
Romae. Sed propter circumstantias mutatas, hoc secundo etiam abroga-
to, nunc iterum testamentum condere statui, cum sim annorum sexaginta
novem, et proximus ultimae diei, ut opinor, sed mente et corpore
per Dei gratiam bene valens.

20 Primum igitur spiritum meum in manus Dei commendatum toto corde
exopto, cui ab adolescentia servire desideravi, et precor, ut me in-
ter sanctos et electos suos, non aestimator meriti, sed veniae largi-
tor admittat. Corpus meum, non apertum, nocturno tempore, sine ulla
pompa, ad ecclesiam Societatis Jesu, vel collegii Romani, vel domus
25 professae deferri volo, et exequiae fiant per solos Patres et fratres
Societatis, sine interventu sacri collegii, sine lecto sublimi, sine
insigniis vel flabellis, eademque simplicitate, qua coeteris de Soci-
etate fieri soleret. Et de hac re, quam maxime possum, Sanctissimum
D. Nostrum humiliter rogo, ut desiderio meo satisfaciat. Quod atti-
30 net ad locum sepulturae, libenter jacere corpus meum voluissem ad pe-
des B. Aloysii Gonzagae, mei quondam spiritualis filii; sed tamen su-

/periores Societatis, ubi voluerint, corpus meum ponant. De rebus

De rebus temporalibus, mihi à Sede Apostolica concessis, vel undecumque acquisitis ita dispono. Haeredem universalem nomino, et instituo domum professam Romanam Societatis Jesu, in qua religione nomen
5 dedi. Volo autem, ut primo solvantur debita, si quae fuerint, et iura iis quibus debentur. Deinde dentur familiae ad quadraginta dies, more solito, quae ad victum pertinent, idest, quod illis taxatum est in pecunia pro pane, vino, et companatico. Neque aliud eis relinquere possum, cum ad solas pias causas testamentum faciendi facultatem petierim, et ea de causa singulis stipendium, sive provisionem aliquam
10 dederim ultra victum. Fratri meo secundum carnem, vel eius haeredibus restituatur imago, sive quadrum Marcelli II Pontificis, et addatur loco munusculi imago sive quadrum Clementis VIII Pontificis Maximi. Nepoti meo Angelo detur imago, sive quadrum Roberti Cardinalis de Nobilibus, et unum ex duobus quadris Sancti Caroli Borromaei, et una ex
15 parvis crucibus, quas ad pectus gero, cum reliquiis inclusis. Collegio Romano restituantur Annalium Cardinalis Baronii tomi sex, quos mihi accomodavit, et eidem dentur alii sex mei; nam cum hac conditione accepi à collegio sex primos tomos, qui meo nomine dati fuerunt collegio eidem ab eodem auctore, ut post obitum collegio relinquerem integrum opus. Eidem collegio relinquo unam ex tribus planetis pretiosis cum stola et manipulo, quam voluerit, et omnia scripta mea, et totam bibliothecam, nisi R/mo Patri Generali videatur bibliothecam alicui alteri loco Societatis magis egenti applicare. Sanctae Mariae in via,
25 qui titulis meus est, relinquo unam ex tribus planetis pretiosis, quam haeres meus dare voluerit. Aliud titulo meo non relinquo, quoniam satis multum expendi in fabrica Ecclesiae, ut fratres illi sciunt, qui hoc ipsum petierunt loco paramentorum, quae illis emere constitueram. Reliqua omnia bona, quae quocumque modo ad me pertinent, seu
30 pertinebunt, sive immobilia, sive mobilia, sive se moventia, sive iura, sive credita, sive sacra ad cappellam, sive prophana ad vestiarium, vel cellas varias pertinentia, sive pecunias numeratas, sive quaecum-

/ que alia integre ad haeredem, idest, ad domum professam Romanam Societatis Jesu, ut dictum est, pertineant volo, et in illis omnibus, et in singulis ipsam haeredem instituo et nomino.

Pro auxilio animae meae nihil relinquo vel praescribo, tum quia
5 parum admodum erit, quod ad haeredem perveniet ut existimo, cum ego cum
cumulandis pecuniis, vel rebus pretiosis acquirendis nunquam operam
dederim, tum quia confido, imo certo scio, non defuturam huic officio
piam charitatem matris meae, Religionis videlicet Societatis Jesu,
ut pro aliis filiis suis ~~nunquam~~ deest; et quemadmodum ego non defui
10 toto vitae meae tempore pro defunctis Societatis sacrificia et orationes
Deo offerre. Executorem hujus meae voluntatis nomino honoris
causa Illustrissimum et R/mum Dominum meum Cardinalem Aldobrandinum:
labor enim, ut existimo, nullus erit in executione testamenti hujus.
Relinquo autem eidem Illustrissimo Domino meo id quo pretiosius nihil
15 habeo, videlicet crucem ligneam reliquis pretiosissimis refertam,
quarum catalogus in scriniolo cooperto rubro holoserico invenietur.

Hoc testamentum valere volo, aliis prioribus abrogatis, quae in
omnibus et per omnia revoco, casso, et annullo, etiamsi hoc forte non
fuerit cum debitis solemnitatibus factum; id enim aperte concedit Bu-
20 lla Summi Pontificis Clementis VIII, in qua mihi data est facultas
testandi, etiam per simplicem epistolam vel cedulam manu mea subscri-
ptam.

Ego Robertus Cardinalis Bellarminus ut supra dispono, in-
stituo, lego, et testor non solum prefato, sed omni alio meliori
25 modo. Scripsi manu propria die V. Decembris anno M.D.C.X.,
anno 6. Pontificatus Sanctiss/i D.N. Pauli Papae V.